…: Disputationum logicarum theoremata.

DISPVTATIONVM LOGICARVM THEOREMATA

Ex Prima parte

CVRSVS PHILOSOPHICI

C O L L E C T A.

ET IN ACADEMICO POSNANIENSI COLLEGIO

Publicè ad diſputandum.

A

JOANNE STRZELSKI Almæ Academ. Cracouienſis nunc verò Poſnánienſis Studioſo Philoſophiæ

propoſita.

PRÆSIDENTE

Eccell: *M. ANDREA BARANKIEWICZ*


Philoſ: Doctore eiuſdemq; Profeſſore.

Anno Domini, 1652. Menſe Nouembre Die

P O S N A N I Æ,

Jn Officina Viduæ & Hæredum ALBERTI REGVLI.

m. m. regulis Krolika



Orbi tam valido insistens hac cum Cruce Telum
Virtutis solidæ est, præsidiiq; Typus.

PERILLVSTRI & ADMODVM REVERENDO

DOMINO,

D. BENEDICTO GROBLICKI,

J. V. Doctori

PROTONOTARIO APOSTOLICO, CANONICO POSNANIENSI, DECANO PYZDRENSI, PRÆPOSITO CIAZYNENSI, Academiæ Posnaniensis CVRATORI,

Domino & Patrono suo

S. & F.

REm benè cæptam felix coronat exitus, PERILLVSTRIS ET ADMODVM REVERENDE DOMINE *Quotquot e contrà ineptis profecta sunt initiis, numerari non possunt damna atq; interitus. Et primum quidem, nequit esse perniciosum: quia ab eo, quod proprium est boni consilij & prudentiæ dimanauit. Nec alterum iniuriosum: impudentiá etenim aut imprudentiá ortum, irreparabili ruat casu, est necesse. Multi ingemiscunt, dum alios ad metam feliciter*

perueniſſe, ſe in medio tempeſtatum naufragos, temeritatis & inſcitiæ ſuæ, dolendas exoluiſſe pœnas aduertunt. Alius in ambiendis honoribus ſpe fruſtratus. Alius in accumulandis opibus diminutus. Quidam in fauoribus conquirendis, ob malè rem cæptam eluſus, prius ante portum hæſit quàm peruenit. Ex prælo miſſa in lucem publicam, Diſputationum Logicarum Theoremata, dum prælio literario committere ſtatuo: ne loco compendii in aliquod diſpendium abripiar, totum id bonis initiis aggredi contendo. Verùm cum ſapienti Socratis iudicio, benè incipere, non ſit paruum ſed maximum: ſuſcepto conſilio, ita iudicaui, vt non aliunde, quàm à Te Perilluſtris & A. R. D. qui omnium ſententiâ iudicaris Magnus Virtute, Doctrina, & Dignitate, operis inſtituti ſumeretur exordium: ſub cuius clariſſimo Nomine ſuum pondus, apud vniuerſos eſt habiturum. Non poſtrema quippe Rei Literariæ felicitas eſt, in ſuæ ſtabilitatis firmius præſidium, quorum nitatur Magnitudine & Excellentia præſtò habere. Talem agnoſcit & ſubmiſſè veneratur Illuſtriſſimum Principem & Reuerendiſſimum Dominum D. CASIMIRVM FLORIANVM DVCEM IN KLEWAN CZARTORISKI EPISCOPVM POSNANIENSEM. *Talem ſenſerat Anteceſſorem Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum D.* ANDREAM SZOŁDRSKI *Præſulem, æternâ memoria digniſſimum. Non diſſimilem cernit Perilluſtr: & Rndiſſimum D.* IOANNEM BRANECKI *Epiſcopum Ennenſem Suffraganeum Poſnanienſem, Academiæ Primarium Curatorem. P. & A. R. D.* ALEXAN-

DRVM

DRVM GLEBOCKI Archidiaconū Gnesñ: Decanum Posnanieñ Eodem animo habet. Perill & A. R. D. NICOLAVM OBORSKI Canonicū Crac: Cantorem Posnan: Illustris: Cels. Cancellariū. P. & A R. D, GEORGIVM GOWARZEWSKI Archidiaconum Sremensem. Perill. & Adm. Rndū. Dnum. D. ANDREAM SWINARSKI Vicarium in Spiritualibus & Officialem Posnanieñ Generalem, viros summæ Doctrinæ Authoritatis & Expectationis. In simile tam præclaro exemplo, reliqui eiusdem Splendoris, Excellentiæ & Dignitatis Illustrium Virorum, in quorum numero Tu quoq; es Perill: & Admod; Reuerende Dñe. Amplißimi Ordines animantur. Non ita certè florentem & hanc nobilem Posnaniensem Academicam Coloniam intueremur, nisi tantorum virorum in promptu haberet suffragia. Hanc cum octo annis, ad Te spectat dictio hæc Perillustris & Admodum R: Domine summa cum laude, administraßes, non satis Tibi id esse duxisti, nisi eam Szołdrsciana Liberalitate, Braneciano id sollicitè Ordinante studio: Tua fide ac diligentia, seriò adlaborante, in Tuo Regimine, auctā insigni dote reliquisses. Debetur hoc Illorum beneficio. Tua vero absq; omni fuco & colore probitati & consequenter felicitati. Neque minorē vt Illorū vni largienti, alteri promouenti, ita Tibi promerenti debent gratitudinem, quibus Literæ sunt cordi, ne dicam prædicta quousq; stabit Colonia. Expresseras in ea, cum alios doceres, ad amussim verum Doctorem, verba Rebus conformando, vitam doctrinæ, mores Institutioni: Nihil enim in Te vnquā vani aut profani, nihil subdoli aut simulati, nihil illæ-

illarum artium quæ vt citiùs fallāt, in candida nigrum vertunt, in nigra candidum, est deprehensum Tribus maximè persuadetur, vitâ dicentis, veritate rei, sobrietate Orationis, Hæ quoq; & non aliæ, cū ad doctrinā, tum ad reliquos vsus, sufficiebāt Tibi Artes. Traxeras in eiusdē Coloniæ amorem, non tantùm memorandū illum Episcopum, Capitulum venerabile, Vrbis Incolas, sed totam ferè hanc Maioris Poloniæ Prouinciam. Quæ tamen omnia, primò in Tuiipsius amorem libenter consenserunt & venerationem. Hinc singulari Dei beneficio Te huic loco destinatum esse, haud ambigitur quod & ipsum fortunatum, iam à longè promittebat Tuum Nomen BENEDICTI. Reliquas animi Tui in reliquo vitæ cursu excellentissimas non possum præterire Dotes. Elucet in Te summa in agendo industria, in conficiendo felicitas, foritudo in sustinendo. Adest sapientia in nodis causarum difficillimarum concipiendis, labor in negotiis. Deprædicatur fidelitas in patrociniis, prudentia in consiliis, integritas in iudiciis. Viget & ipsa cæterarùm magistra virtutum, Pietas Iustitia Innocentia, Charitas, sine quibus nemo potest esse particeps hæreditatis illius, ad quam aspiramus sempiternæ. Angelum Te in sua Angelographia Tuo Nomini dicata, è Familia S. DOMINICI Theologi appellare non dubitarunt: & certè non errarunt: neq; enim Tu præter id, quod in dies Angelico Pane Te reficere soleas, à candore & puritate mentis, Angelis simillima deuiasti vnquam. Et hæ sunt Tuæ inclytæ virtutes, quæ etsi omnibus, maximè tamen Magno illi Doctrinâ, Iudicio, Authoritate Senatori. Illusmo: ac

Reñ-

Reńdſmo D. ANDREÆ SZOLDRSKI amabilem Te reddiderant. Illæ Te perauguſto Poſnań: Capitulo, in cuius rem & commodum, ſollicitam ſemper impendis operam adſcripſerunt. Illæ Illuſtriſſimum ac Rńdiſsimum PRINCIPEM quem iterum honoris cauſa nomino, quemq; omnes confitentur, & res ipſa loquitur, cum in cæteris rebus, rarâ & exquiſita prudentiâ, tum miro in pernoſcendis hominũ ingeniis acumine, & matura in ornandis cuiuſq; virtutibus voluntate, præditum eſſe, ad Te adamandum induxerunt. Itaq; gaudet Eccleſia Te tot virtutum nobiliſſimarum indefeſſo Cultore, qui ſacerdotalis puritatis, exemplum es cuiuis imitandũ. Gaudet inclytum Capitulum, tam inſigni Doctore, cuius dicta & facta non poſtremũ eius ſunt robur atq; ornamentũ. Gaudet Poſnanienſis Academia tam beneuolo Curatore, ſub cuius ſollicita nec minus fideli de ſuo bono cura, felices ſibi pollicetur ſucceſſus. Gaudet deniq; præſens hæc mea Lucubratio tanto Patrono, à cuius Nomine venerando, vt ſumpſit initium, ita dum eidem officioſa defertur voluntate beneuolè excipi ambit. Opus quidem fronte prima vile, nõ tamen abſq; interno nitore, ſimile ſimulacris Silenorum Alcibiadis quæ erant ore hiſpido & aſpernabili, intus verò plena gemmarũ, ſuppellectilis raræ & pretioſæ, ita vt ſi aſpexeris feram videas, ſi introſpexeris numen agnoſcas. Incultũ eloquio, verùm non abſq; profundiùs latente, pretio: Ita certe & in pecunia non quæritur quæ moneta percuſſa ſit, ſed quâ conſtet materiâ, nec eſt qui purum aurum non nolit habere ſub mediocri nota, quàm ſub ingenti & excelſa fa-

ctitium

ctitium. Est elegans res fateor facundia plena illecebræ & voluptatis sed in Philosophia nec grata nec decora. Verissimũ & illud nihil esse diuersũ magis ab instituto Philosophico, quàm quod fastum aut luxũ aliqua ex parte sapiat, Deniq; cerussato ori infectum subesse sanguinẽ sæpius constat, modulatui fraudem. Quid quòd nec Tullius ipse in re Philosophica desiderat facũdiam: Laudabilius dicens musas habitare in animo, quàm in labris, componere mentem, non dictionem, curare ne quid aberret ratio non oratio. Vulgatum & illud quæ tractantur à Philosophis tectorio non clarescere sed offuscari. Pithagoras si potuisset viuere sine cibo, oleribus pepercisset: si sua sensa aspectu, aut demum minore quàm sermonis opera explicare, omnino non locutus fuisset. Exiguum: sed scio Te non esse eum apud quem frequentius solent flores fructibus longè præponderare, verba rebus. Iam ergo à Tui Nominis Amplissimi, in lucem publicam profectum, quod Tibi offero & dedico tale benigno vultu excipe Opus: In eo rerum momenta non lenocinia pigmentata, quod Tibi commune cum Magnis, perpende: illud deniq; contra maleuolentiæ insultus quæ instituta Philosophica incessit & bonas causas ingenii calumnia ludificatur, (quanquam ea veritatem firmat non infirmat & veluti quassatam motu flammam excitat non extinguit Telo beneuolentiæ Tuæ protege, meq; gratam Tibi semper vouentem pietatem prosequi affectu non desinas.

Perill. & A. Reuerendæ Dñtioni T. deditissimus.
IOANNES STRZELSKI A. P. S

DISPVTATIONIS Primæ THEOREMATA.

1.

LOGICA Docens quoad singulas partes est Habitus per Demonstrationem acquisitus, & consequenter Scientificus: econtrà Vtens, est Habitus inducens formam in animam & consequenter Ars, non qualiscunq; sed Liberalis, cuius proprium est inducere Formam in Materiam internam, non externam, cum hoc sit mechanicum.

2.

DOcens ab vtente sic differt, quòd nimirùm talis Distinctionis sit fundamentum in Re cum auxilio Intellectus, non tamen ita; quòd sint diuersa realiter specificè aut numericè, quâ ratione sunt penitus idem.

3.

QVoniam in Intellectu experimur nouam difficultatem in ordine ad aliquos actus: etsi informatus sit tam Docente, quàm Vtente: quæ difficultas tollitur per frequens exercitium, hinc non abs re tertiam constituimus Logicam Vtentem actiuè, distinctam, habilitantem, intellectum ad promptè & expeditè Definiendum, Diuidendum, & Argumendum.

4.

SVbscribimus sententiæ subtilis Doctoris, Syllogismum seu Argumentationem pro Obiecto Logicæ statuentis, sed Principali: Adæquatum verò cum Doctore Angelico Ens rationis vt est

Secunda Intentio. Reduci omnia contenta in Logica reductiuè & in obliquo ad Modum sciendi, tenemus, non tamen ideo esse Finem vltimatum eius. Directionem quoq; Operationum intellectus sumptam formaliter idem esse quod Ens Rationis rectè iudicamus.

5.

VTriusq; tam Docentis quàm Vtentis Actus, sunt Speculationes, ex quibus Habitus consurgit Speculatiuus, nequaquam Practicus, nisi secundùm quid, & Analogicè, ducta similitudine ab Ethyca præscribente Regulas, ad quas voluntas Actus suos conformat, in genere Moris, vt sint boni, sic Logica suos Actus vt sint veri.

6.

ASsensus scientificus habetur, non nisi ex bonitate Consequentiæ: quæ absq; Logica Artificiali nequit acquiri: cum ad hoc sit simpliciter necessaria: nec solùm Lumen Naturale id præstare potest absq; eius præsidio.

7.

DIgnitatis prioritate, non est prior Logica aliis Scientiis, prioritate generationis, seu Acquisitionis, prior iisdem.

DISPVTATIONIS Secundæ & Tertiæ.

I.

ENS Rationis est Ens secundùm quid, non habens Essentiam rigorosè sumptam, benè tamen intelligibilem.

2

ENtia Rationis Formaliter, non existunt alio modo, nisi vt cognoscuntur actualiter: quamuis formaliter possint denominare sua Subiecta, positis tantùm eorum Fundamentis.

Entia

3.

ENtia Rationis tam in Particulari quàm in Vniuersali, non cognoscuntur per speciem propriam Impressam, quæ est effectus quidam Entis Realis, sed per alienam. Per Expressam eiusdem Entis Realis nequaquam, nisi mediatè.

4.

NVlla est Causa Realis vera, dans Esse Entibus Rationis, per verum & Realem Influxum, nec DEvs immediatè intelligendo per seipsum, Ens rationis, illud format: non habent quoq; Subiecta Entia Rationis, quibus inhæreant, sed tantū Obiectiuè in Intellectu sunt.

5.

DIuisio Entis Rationis, in Priuationes Negationes & Relationes Rationis, est optima, neq; diminuta: Negationes distinguntur per Ordinem quem dicunt ad suas Formas, Priuationes ratione Habitus, Relationes Rationis per referribilitatem ad aliud.

DISPVTATIONIS

Quartæ.

I.

PRIMA Intentio pro Materiali, aliquando est Ens Reale quod est Substantia siue Accidens, aliquando Ens Rationis, sumpta pro Formali semper est Relatio quædam Rationis.

2.

SEcunda Intentio pro Materiali semper dicit Relationem Rationis, fundatam in alio Ente Rationis, communiter dicitur Secunda Intentio Rationis.

3.

VTraq; tam Prima quàm Secunda Intentio sumpta formaliter, debet habere fundamentum. Prima Intentio pro Materiali,

quatenus est aliquid Reale absq; eo, At sumpta eadem pro Materiali vt est Ens Rationis, omnino requirit illud.

4.

DIuisio quâ diuiditur Intentio in Primam & Secundam est Vniuoca: si vtraq; sumatur pro Formali, Econtrà pro Materiali: sic enim Analoga.

5.

MAterialia Primæ Intentionis in Concreto, de se inuicē prædicantur vt homo est animal, animal est homo. Abstractum Primæ Intentionis vt animalitas, acceptum vt est Totum quoddam Potentiale, prædicatur de alio in recto, quod est Essentialiter Inferius ad illud, vt Animalitas de Humanitate, Quòd si accipiatur vt est Totum Actuale & cum præcisione: minimè.

6.

MAterialia secundæ Intentionis in Concreto rectè prædicantur de Materiabus primæ intentionis in concreto, Materiale secundæ Intentionis in Abstracto non prædicatur de Materiali eiusdem. in Concreto, vt Species est Specieitas. Materiale Secundæ Intentionis in Abstracto rectè prædicatur de Materiali etiam in Abstracto eiusdem Secundæ Intentionis vt Specieitas est vniuersalitas. Materiale Secundæ Intentionis in Concreto, nō prædicatur de Materiali Secundæ Intentionis in Abstracto, vt Specieitas est Species.

DISPVTATIONIS

Quintæ Sextæ.

I.

VNIVERSALIS natura est, esse Vnam Communem multis, consistens in Rebus non in Vocibus aut Conceptibus nec separata realiter à Singularibus, si fundamentaliter concipiatur,

tur: Si verò Formaliter, sic non est à parte rei Vniuersalis, sed beneficio Intellectus operantis.

2.

NAtura, quatenus dicit sua prædicata potissimùm essentialia, & quatenus est indifferens tam ad contractionem à conditionibus indiuiduātibus, quàm ad abstractionē ab iisdem: neq; est vniuersalis neq; particularis, sed indifferēs, Determinabilis tamē aut ad Vniuersalitatē si abstrahatur, aut ad singularitatē si cōtrahatur dicto modo.

3.

VNiuersale Logicum quoad complementum dicit actualem respectum & Relationem rationis ad Inferiora; quod fit per notitiam comparatiuam & operationem intellectus Possibilis.

4.

AD quinque Prædicabilia completum Vniuersale est verè & propriè Genus proximum vniuocum.

5.

PRædicari in Quid, de pluribus differentibus Specie, per modum Contrahibilis & Qualificabilis siuè per modum Contracti & Qualificati proprium est solius Generis. De pluribus differentibus Numero in Quid: Speciei. De pluribus differentibus in Qualequid. Differentiæ, vt sic, vt est communis Subalternæ & Athomæ, De pluribus in Quale Accidentaliter Intransmutabiliter. Proprii. De pluribus in Quale Accidentaliter Transmutabiliter. Accidentis.

6.

GRadus Genericus & Differentialis præcisè sumpti distinguntur realiter. Cùm præcisione: per Rationem ratiocinatam tantùm, Compositio quoq; ex Genere & Differentia est Rationis.

7.

SPeciei Subicibilis proprium est, poni sub asignato Genere, vt docet Porphyrius, in qua ratione non constituit secundum Prædicabi-

 dicabi-

dicabile, Hæc eadem eſt Vniuerſale, non tamen ea ratione, qua Subicibilis.

8.

PRædicari de vno tantùm, eſt Ratio Indiuidui deſcriptiua. Eſſe verò Relationem quandam Rationis ad vnum. Quidditatiua.

9.

NAtura Angelica reponibilis eſt in Prædicamento Subſtantiæ cõſequenter eſt Species: cum nõ poſsit eſſe Genus, vel tanquam Genus, Adeſt Radicale Fundamentum, ratione cuius intellectus tribuere poteſt ei denominationem Speciei. Adeſt quoq; compoſitio ex Genere & Differentia.

10.

DIfferentia Athoma vniuerſalitatem habet per ordinem ad Speciem, quam conſtituit non ad Indiuidua, licèt de illis dicatur virtualiter. Continentur enim in potentia Speciei & Virtualiter, quod ſufficit ad rationem Vniuerſalis Formaliter.

11.

DEfinitio Proprij: quod conuenit, Omni Soli & Semper, eſt potiùs Prædicati non Prædicabilis Definitio.

12.

ACcidens per eſſe & abeſſe præter Subiecti corruptionem, non definitur vt eſt Prædicabile quintum, ſed Primò Intentionaliter. Abeſſe & Adeſſe per intellectum eſt Eſſentia Communis Accidentis.

DISPVTATIONIS
Septimæ.

I.

QVæ in nomine communi conueniunt & habent diuerſam

ſub.

ſubſtantiæ rationem, per illud Commune Nomen ſignificatam Æquiuoca ſunt. Quæ & communitatem Nominis & Rationem Subſtantiæ eandem. Vniuoca. Quæ ſecundùm Nomen ſolo differentiæ caſu appellationem habent. Denominatiua. Quæ in Nomine communi conueniunt ſignificante rationem Subſtantiæ, nec ſimpliciter diuerſam nec ſimpliciter eandem, Analoga.

2.

REponibilia in Prædicamentis Directè & Per ſe, non niſi eſſe debent, Entia Realia, Per ſe & non per Accidens. Incomplexa, Completa, Finita, ſiue Vniuerſalia, ſiue Indiuidua.

3

REponibile Subſtantiale, non niſi ſub termino Concreto, Reponibile Accidentale, ſub vtroq; tam Concreto quam Abſtracto referri debet ad Prædicamentum ſuum.

DISPVTATIONIS
Octauæ. Nonæ. Decimæ.

I.

PRimi Prædicamenti Eſſentia eſt. Cohærere Per Se Aptitudinaliter, ſeu Eſſe Per ſe. Diuiſio eius: in Primam & Secundam Subſtantiam: Attributa non eſſe in Subiecto tam Primam quàm ſecundam. Secundæ vt dicantur de Primis. Primæ vt ſignificent Hoc Aliquid Secundæ Quale quid. Nihil eſſe contrarium. Non ſuſcipere magis & minus.

2.

SEcundum Prædicamentum realiter eſt diſtinctum à Primo. Formale eius eſt, ſola Forma accidentalis per quam Subſtantia eſt extenſa, ſeu habet Partem extra partem. Differentiæ Species & proprietates nouæ non adinuentæ, nec agnitæ. Qua-

3.

QValitatis Definitio per suum Concretum, quod est notius Abstracto data, vt hæc. Secundùm quam Quales dicimur. est sufficiens. habens certas Differentias, Species, & Proprietates.

4.

RElatio ex his constituitur Subiecto reali, Fundamento, Termino, Relatiuo. Ad Numerum & Vnitatem, Actionem & Passionem, Mensuram & Mensurabile, prædictum fundamentum benè reducitur.

5

ACtiones immanentes, non sunt veri Motus, neq; sunt reponibiles in Prædicamento Actionis. sed solæ Transeuntes, idq; sumptæ pro Fluxu Formæ, non Formâ, Fluente.

6.

ACtio Abstractè sumpta, est Motus Fluens ab Agente, sicut & Passio est Motus receptus in Passo. Prædictæ Actionis sumptæ secundùm Essentiam, Subiectum est Patiens. Sumptæ. quatenus denotat aliquid Extrinsecum, nimirum Relationem, Agens: iuxta doctrinam subtilis Doctoris.

7.

QVando & Tempus constituunt diuersa Prædicamenta non, sunt tamen distincta Realiter, sed per solam Rationem Ratiocinatam, Substantiæ quæ neq; senescunt neq; iuuenescunt quales substantiæ sunt separatæ incorruptibiles, non pertinent ad hoc Prædicamentum, nisi fortè secundum imperfectum modum cognitionis nostræ, quando nimirum ad instar Substantiarum compositarum, superiores illæ cognoscuntur.

8.

VBi re ipsa est Idem cum Loco realiter, nec Mobile per Motum aliud acquirit quàm Locum: quod verò Locus simpliciter contineat,

tineat rem locatam & vbi cum habitudine ad hanc vel illam Longitudinem, Latitudinē, hæc est distinctio tantùm rationis ratiocinatæ. Sub Quando continentur etiam incorporales Substantiæ.

9.

HAbitus vt hoc Prædicamentum constituit, non est res ipsa habita, nec res habens: Sed distinctum ab vtroq; , resultans ex adiacentia, rei habentis, & rei habitæ.

10.

SItus qui est dispositio partium in ordine ad locum. manente eodem Vbi, potest non manere idem.

11.

IN quolibet Prædicamento inuenitur oppositio adminimùm Priuatiua. Similiter in quolibet Superiorum ad Inferiora prioritas. Simultas. Motus tamen & Habere non in omnibus. Oppositionis quatuor genera. Prioris modi quinque. Simul modi tres. Motus Species sex, Habendi Modi septem.

DISPVTATIONIS
Vndecimæ.

I.

PRocedere ex Veris Primis, Immediatis, Notioribus, Prioribus, & causis Conclusionis, est natura Syllogismi Demonstratiui: Cuius Species subalternæ sunt duæ, Prima vocatur Propterquid. Altera Quia.

2.

DEmonstrationis ex parte scientis proprium est, Certitudo: ex parte rei scitæ cognitio per Causam alicuius rei.

3.

IN Demonstratione Potissima seu propterQuid Medium est definitio Subiecti, non Passionis: nec immediatiores possunt esse

Præ-

Præmissæ, quàm dum loco Medij assumitur definitio Subiecti.

4.

AD omnem Discursum demonstratium istæ tantùm duæ requirunt Præcognitiones An sit & Quid sit.

DISPVTATIONIS

Duodecimæ. 3mæ. 4mæ.

I.

DEmonstrationis effectus est Scientia distinctus habitus à Solertia Opinione Fide & Intelligentia. Scientia & Opinio quatenus importans tam actus quàm habitus nequaquam possunt esse in eodem homine de eodem Obiecto formaliter, lumen quoq; Euidentiæ quod est in Opinione ad lumen scientiæ habet se tanquam tenebræ ad lucem.

2.

QVæstio Dialectica: & ex forma quærendi, tum quoq; ratione Præmissarum differt à quæstione Demonstratiua. Quæstio item Problema Propositio Principium Conclusio, suis rationibus Formalibus differunt.

3.

PRæter Demonstratiuam & Dialecticam rationem disserendi inuenitur alia, quæ dicitur Sophistica distincta ab alijs.

A. M. D. G. Bq; M. V. H.